



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XIII. Refellitur Vbiquitas, quia repugnat præsentiaë corporis Domini in  
Eucharistia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

velaminis, & ipsa Sancta sanctorum, sed non ultra illa progrediebatur. Ita ergo & Dominus, ut cœlestis Pontifex, penetrauit vsq; ad intimum recessum summi cœli, sed non ultra progressus est, nec extra ipsum cœlum mansit.

Ad SECUNDAM dico, illa esse verba otiosa Brentij, nec ullam blasphemam, cum in iocum conuertat mysteria diuina. Sed ne & ipsi ioci noceant, respondemus, Christi corpus non redigi ad angustias poli antarctici; sed esse in qua parte voluerit, nec periculum esse agitationis, cum cœlum empirium quietum ponatur ab omnibus; nec illud sit periturum, licet inferiores cœli sint aliquo modo immutandi. Sed hæc omnia superant modum intelligentiæ huius vitæ. Sicut enim Augustino, lib. vlt. ciuit. Dei, cap. vlt. scire, in cœlo habituros corpora gloriosa statum & motum prout voluerint, sed omnino decentem.

Ad TERTIAM dico, Christum ascendisse in cœlum, ex quo descendit. Porro autem ex vero cœlo descendisse, licet metaphoricus fuerit ipse descensus, nec tamē inde sequentium ascensum debere exponi metaphoricè, si descensus sit metaphoricus; nam descensus fuit Verbi increati spiritualis, & immensi, ascensus fuit carnis corporeæ creatæ & finitæ.

## CAPVT XIII.

*Refellitur Vbiquitas, quia repugnat præsentia corporis Domini in Eucharistia.*

**T**ERTIO PVGNAT Vbiquitas cum ipso Sacramento Eucharistiæ, pro quo stabiliēdo est cogitata. Nam si caro Christi est vbique, cerere non cogemus Eucharistia; & frustra imus ad templum, frustra recitamus verba cœnæ, frustra paramur ad illam, nam, cum domi habeamus in pane, & vino, & aliis omnibus cibis, corpus Christi.

LUTHERVS in libro, quod verba Christi, *Hoc est corpus meum*, adhuc firma stent, obiicit sibi hoc argumentum, his verbis: *Si corpus Christi est in omnibus locis, agedum deuorabo, & belluabor ipsum in omnibus hospitibus, et in omnibus forcellis, poculis, cantharis.* Respondet autem sic: *Audi tu potes, cum*

*canis fanaticæ, aut quisquis fueris insulse asine, etiam si corpus Christi sit in omnibus locis, non tamen tu statim ipsum vel deuorabis, vel helluaberis. Et infra: Ablego te in haram tuam porcorum, vel in tuum sterquilinum.* Summa responsionis est, licet sit ubique, non tamen posse ubique capi. Et ponit exemplum de radiis Solis, qui nos undique attingunt, & tamen si quis velit illos includere in cistam, & secum ferre, non poterit.

At hæc solutio nihil valet, nam si corpus Christi verè est ubique, non potest separari ab vlla re, & proinde est impossibile, vt habeam panem in mensa, vel in manu, vel in ore, vel in stomacho, & non habeam ibidem corpus Christi. Nec similitudo radiorum valet, quia radij non modò nō sunt ubique, sed nec penetrare possunt corpora non transparentia.

IOANNES Brentius in libro de duabus naturis, & Ascensione Christi respondet paulò aliter, vel potiùs explicat sententiam Lutheri. Dicit enim corpus Christi ubique esse personaliter, sed in cœna esse etiam definitiuè, id est, ex definitione, & decreto Dei per consecrationem, qui modus essendi addit solùm efficaciam, nam in Eucharistia sumitur efficaciter, & nusquam alibi.

Hæc solutio apertè includit Calvinismum; nam Brëtius cogitur dicere, nihil sumi in cœna, quod non habeatur extra cœnam, nisi efficaciam corporis Christi, & proinde in cœna non sumi reuera corpus Christi, sed solùm quandam energiã eius. Et licet Brentius id non diceret, tamen sequitur euidenter ex Vbiquitate. Nam sicut, quia Deus est ubique, nō potest moueri, nec per se, nec per accidens, & ideo nemo comedens panem, dici potest verè comedere Deum, licet in pane sit Deus; nam panem verè comedo, quia panis verè transit de manu ad os, de ore ad stomachum. at Deus non transit, quia simul est in manu, in ore, in stomacho, & ubique. Ita etiam si Christi corpus est ubique, non potest verè cum pane comedi, quia non potest verè transire cum pane de manu ad os, de ore ad stomachum, quia non potest moueri, cum sit ubique, ergo solum in cœna Christi corpus sit præsens, & manducatur per energiã, & non per realem sumptionem.

Vides quomodo Lutherani & Brentiani, dum Calvinistas oppugnant, illis fauent, & tamen Brentius in suo Testamento

mento

mento execratur Sacramentarios, nec patitur illum locum  
eis in Ecclesia dari.

## CAPVT XIV.

*Refellitur Vbiquitas testimonis Patrum,*

**R**IGNAT Vltimo Vbiquitas cum omnibus Patribus. S. AMBROSIVS lib. 2. de fide, cap. 4. *Non enim, inquit, Deus de loco ad locum transit, & ubiq; semper est; Et homo est qui vadit, ipse qui venit, deniq; & alibi dicit; Surgite eamus. In eo ergo vadit & venit, quod est commune nobiscum.* CYRILLVS Hierosolimitanus catech. 14. in fine: *Non enim, inquit, quia nunc adest in carne, ex eo putes quod spiritu medio hinc non audiens qua de illo dicuntur, & videns qua tu cogitas, & transans renes & corda.* CHRYSOSTOMVS in illud loquitur, sed à summa substantia seipsum denominat. *Reverentia Symbolum: Ascendit ergo, inquit, ad cælum, non ubi Verbum Deus antè non fuerat, quippe qui erat semper in cœlo, sed ubi Verbum caro factum, antè non sederat.*

AVGVSTINVS Tract. 78. in Ioannem: *Sed à quo ibat, inquit, homo abscedebat, Deus non recedebat, & ita Christus homo & Deus. Ergo & ibat per id quod homo erat, manebat per id quod Deus erat. Ibat per id quod homo erat, manebat per id quod ubique erat.* Et epist. 57. ad Romanos: *Non est autem consequens, inquit, ut quia in Deo est, ita sit ubique Et Deus; nam & de nobis & de acissima creatura dicit, quod in illo vivimus, movemur, & sumus, per seipsum, sicut ille, ubique sumus, sed aliter homo ille in Deo, per seipsum, aliter & Deus ille in homine, proprio quodam singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & unaque & unus Christus Iesus, ubique per id quod Deus est, & ubique autem per id quod homo.*

CYRILLVS Alexandrinus lib. II. in Ioan. cap. 2. *Discipuli, inquit, absentia Christi, Et hominis dicitur, & ubique est) multorum eis incommodorum causam fuerat, cum non adesset, qui eos posset ab omnibus malis erant, sed oportebat non solum in carne Christi, & verum etiam in Deo*